DE HUMANI CADAVERIBUS ALIQUANDO EXSUDANTIBUS DISSERTATIO...

Giuseppe Alessandro Mapelli

31

DE

HUMANIS CADAVERIBUS

ALIQUANDO EXSUDANTIBUS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICINAE

LAUREAM

IN I. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

RITE CONSEQUENDAM

PUBLICO JUDICIO SUBMISIT

JOSEPH ALEXANDER MAPELLI

BERGOMENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVIII.

Sudor et insensibilis transpiratio ea est humani corporis adhuc viventis salutaris propemodum excretio, per quam cutaneis canaliculis excretoriis auxiliantibus, impura quaeque atque subtiliora recrementa, aquei ut plurimum et salino-sulphurei sub formam vaporis quaquaversus excernuntur atque separantur.

Insensibilis autem transpiratio dicebatur olim plurimum differre a sudore, eo quod a regulari tantummodo atque perenni sanguinis motu, nec non cordis arteriarumque elastica vi proficisci videbatur; cum sudor contra profusus in vehementiori motu a particularum sulphurearum in sanguine ipso existentium, nec non a fibrarum et cellulari debilitate, simulque a cutaneorum vasculorum exhalantium atonia originem ducere putabatur.

Levis tamen haec atque vaporosa perspirabilis substantia, ab immortali Hallero halitus tantummodo vocatur, a Wilsonio vero atque Senachio naturae admodum expansibilis statuitur, unde facili modo per cutanea vasa foras truditur atque asportatur.

Recentissimus autem physiologus britannus Darwin affirmat, transpirationem esse praecipue utilem ad cutis mollitiem conferendam, ad motus omnes corporis faciliores reddendos, et ad tactus organum perficiendum, quae omnia ab illustri quoque Petro Frank in suo tractatu de morbis cutaneis satis superque sunt confirmata.

Verumtamen extra omnem dubitationis aleam, illud positum est, quod sudor et transpiratio, quae est excretio sane salutaris, ut plurimum fit in corpore sano, et etiam saepe ac saepius in morboso, quae nonnisi in homine adhuc viventi perficitur, et in cadaveribus omnino evanescit. Verum enim vero nescio quo pacto aliquando factum est, ut corpora humana post mortem manifestissime visa sint exsudare. Sed prius quam de sudore cadaverum verba faciam, aliqua de sudoribus praeternaturalibus sunt dicenda.

Sudor anglicus est morbosa excretio valde fortis, continuata, colliquativa, et omnes limites excedens, cum febre persaepe malignanti et nervosa conjuncta, quae aegrum ad certam necem sudando perducit.

Sudores actu frigidi in quibusdam morbis convulsis, hypocondriacis, melancolicis, atque hystericalibus observati sunt, in terroribus repentinis, in lipothimiis atque animi deliquiis, in passione iliaca, et in extremo mortis agone constanter adparent.

Sudores etiam partiales tantummodo, sudores critici in morbis acutis, sudores variis odoribus conjuncti, nunc bene nunc pessime

olentibus, in humano corpore observati fuerunt.

Sudores etiam coloratos et variis coloribus distinctos observavit Wilisius aliique, item et urinosos, vinosos ec.

Tandem sudores sanguineos, et revera sanguine cum sudore permixto viderunt experientissimi Medici, imo anno 1826 in Medica Nosocomii Patavini Clinica puellam habuimus, quae per longum tempus vivum ac verum sanguinem exsudabat praecipue ex collo, fronte aliisque externis partibus.

Nunc autem ut ad propositum redeam de sudantibus cadaveribus multa nobis supersunt dicenda.

Et revera non me latet inveniri casus non paucos, in quibus a gravissimis auctoribus, sudores emanantes in aliquibus cadaveribus observati et descripti fuerunt.

Cedelius inquam se observasse affirmat cadaver alicujus presbyteri per tres dies, usque dum ad tumulum delatum fuerat, exsudans, quod tamen quasi miraculum fuisse arbitrabatur.

Sed et Matthaeus Faber Holascius observationes refert de cadaveribus exsudantibus; Lanzonus quoque ait se vidisse in cadavere cujusdam hominis maligna febre extincti, sudores frigidos ab omnibus cutis spiraculis emanantes; Paulus etiam Zacchia Medicinae forensis praeclarissimus professor, quaestione X, sudores in cadaveribus obortos se deprehendisse affirmat.

Mirabile est quod immortalis noster Morgagnus narrat in epistola 119, aurei sui libri *de causis etc.* sanguinem scilicet ex vena dedu-

ctum in quadam muliere, frigidum prorsus exiisse, quae mulier et febre et gravissimis hystericalibus affectionibus vexabatur.

Sed ne a proposito divager, ut de sudantibus cadaveribus loquar, accidit in hac ipsa Patavii urbe paucis abhinc annis vera cadaveris exsudatio.

Hanc quidem admirandam rem peritissimus Medicus Patavinus observavit et descripsit, ut videre est in illo opere quod inscribitur: *Sylloghe opusculorum*, in volumine decimo; cujus operis fuit eximius scriptor atque collector Aloysius Valerianus Brera in Patavina Universitate Clinicae Medicae professor.

Villicus quidam qui currum uvae plenissimum ad civitatem Patavii ducebat, infelici quodam fato noctis tempore humi lapsus, sub ingenti rotarum circumeuntium pondere oppressus miserrime jacuit: quapropter claviculae dexterae os infractum et comminutum fuit, insuper onus illud prope immensum per thoracis costas superductum insolenter eas compressit, hinc per hypocondriacam dexteram regionem discurrens, jecur ipsum, et viscera fere omnia abdominalia elisit, et tandem os femoris dexteri artus et tibiae confregit.

Semianimis hic homo ad Nosocomium Patavinum translatus est, et inter maximos cruciatus, post horas viginti quatuor vitam cum morte commutavit.

Extincto jam homine, observatum est quod cadaver miro et singulari eventu sudorem apertissime emittebat, cujus humoris guttulae de cute prodeuntes, aliae aquosae limpidaeque

erant, aliae subvirides et tenaces videbantur.

Mos vigebat apud nos ut mortuorum corpora per duos integros dies inhumata servarentur, quare hoc cadaver per quadraginta sex horas in sacello ejusdem Nosocomii servatum sepultura caruit.

Incredibile est, quae et quanta curiosorum hominum multitudo ad hoc singulare phaenomenon videndum se se contulerit, et Medicinae cultores praecipue multi adfuerunt, ex quibus plerique postquam linteis sudorem abstergerent, iterum iterumque cadaver exsudare suis oculis observarunt.

Ad tres igitur si me mea non fallit opinio, observatae rei causas referendus est effectus.

Quarum prima est immanis compressio totius corporis ac praecipue dexteri lateris: consistit altera in motu quodam progressivo vasorum subcutaneorum adhuc superstite: tertia denique habenda est ipsa peculiaris aeris atmospherici constitutio illorum dierum, quibus factum miserrimum contigit.

Et ad primam quod attinet, si illa compressio corporis totius adeo fuit gravis in illo homine, ut ossa claviculae dexterae, insuper et tibiae atque fibulae comminuerit, costas fregerit, jecur validissime compresserit, ita ut bilis tota per corpus, tanquam si esset ictericus homo ille, flavo colore perfusum remanserit, et inde vasa quoque lymphatica omnia compressa fuerint, mirum non est, si per vim expressionis humor lymphaticus et sudorifer per vasa cutanea sibi viam fecerit, etiam demortuo jam homine.

Quoad alteram causam satis notum est Physiologis et Anatomicis motum quemdam in minimis vasis lymphaticis in cadaveribus remanere, quod a peritissimo profess. Tomasini est demonstratum, et certissimis experimentis satis superquè confirmatum, quae quidem si in medium proferrem, nimis longus essem.

Demum et ipsa atmosphaerici aeris indoles illis diebus humida plurimum, et ad relaxandam vim vasculorum apprime disposita aliquid ad singulare hujusmodi phaenomenon excitandum conferre potuit.

In ea quidem spe sum, ut quaecumque hactenus dixi, rationi consentanea habeantur, et probabili valde conjecturae innixa; haec tamen omnia sapientiae vestrae, quae maxima est, celeberrimi et humanissimi Professores, ego committo atque subjicio, ut vos ad extremum de meis studiis judicetis, et ea vota, quibus nunc totus inflammor, ad felicem exitum perducatis.

THESES

I.

Lithontripticum remedium minime dari potest.

II.

Nulla inter blenorrhaeas atque syphilitici ulceris contagium discrepantia adesse videtur.

III.

Natura gaudet consuetis, aegre fert contraria (Boerhaav.).